

præsentibus ipso Episcopo, & Oberto Moitio Consule Aquarum, Jacobo Buccatio, Uberto Mantea, Othone Rappa a Meladio legatis Aquensibus. Cæterum pro republica Alexandrina infra scripti interfuerunt Gullielmus de Aliate Prætor tunc civitatis Alexandriæ, ad quod firmandum Alexandrinorum nomine intererant Ugo Clarus, & Albertus Bonellus.

(1) *Protuli par. I. doc. 131. col. 148.*

MCCX. Die 3. octobris (1), cum ut supra dictum est Marchiones Boschi in beneficium concessissent Castrum, & Vicum Montisclari reipublicæ Alexandrinæ, nilque superesset, quam uti possessionem pacificam consequeretur, loci indigenæ conceptis verbis ad fidelitatis iuramentum addacti sunt Gaffriolo Grasello Prætoræ Alexandriæ: aderat D. Delphinus, & Johanna ejus uxor Marchiones Boschi. Eodem anno Pecetum, & Monscastellum ab Alexandrinorum manibus erepta a Ticinensibus fuerunt, Guinforto Bellefio Aquensi Prætoram Alexandriæ exercente.

(1) *Protuli par. I. doc. 140. col. 160.*

MCCXII. Prætoram agente Ruffino Advocato Vercellenfi ingens prælium apud Bagiennam Augustam, quam nunc Bassignanam appellant, commissum fuit; sed non reperio cum quibus id acciderit.

MCCXV. Nicolaus de Andito cum prætor esset Alexandriæ, discordiarumque illæ faces inter Marchiones Montisferrati, & Alexandrinos nunquam extinctæ essent, sed adhuc maxima præberent bellorum semina, Alexandrini delectu habito confœderatis Mediolanensibus, & Vercellenfibus usi, ut aliquam insignem cladem Marchionibus Montisferrati afferrent, Casale s. Evasii obsiderunt Manganis, & omni instrumentorum ad oppugnandum genere ad id adhibitis; quod die secunda augusti post multas oppugnationes obtinuerunt, civitatemque igne, & ferro consumpserunt, multis Casalensibus, ac eorum Prætoribus desideratis, ac penitus excisa, & everfa urbe, corporibusque ss. Evasii, Natalis, & Projecti Alexandriam delatis. Edicto insuper præceperunt, ut nemo hominum Casale inhabitaret, illud reædificare auderet, qui id facere conaretur, hostis populi Alexandrini haberetur, quod ea mente ab Alexandrinis factum fuit, ut Marchiones hac urbe nudati, ansam in futurum, nec tam facilem; neque tam propinquam haberent injuriam inferendi Alexandrinis. Quare Casalenses hinc, & illinc palantes, ac dispersi veluti feræ vagabantur. Sed cum ad Honorium III. Summum Pontificem accessissent, illiusque pervoluti pedibus calamitates, miseriaeque suas eidem exposuissent, iussit Ticinensi Episcopo, ut omni animi, & corporis contentione conaretur, pacem inter utrosque populos conciliare, sin minus operam daret, ut Alexandrini saltem permitterent instaurationem civitatis, quod in Pontificis gratiam Alexandrini concesserunt.

MCCXVI. Othobonus Crux Mediolanensis Prætoram egit in civitate Alexandriæ, quo tempore summo cum totius urbis commodo Porta una ad Tanarum posita fuit ædificata, per quam itur ad villam Fori, Vuilias, & ad partes ibidem existen-

tes. Eodem anno Honorius III. Summus Pontifex literis Prætori, populoque Alexandrino missis (1), ipsis breviter collaudatis, anno tertio sui Pontificatus, duodecimo calendas maii, sub sua protectione, ac clientela rempublicam recepit edicens, ne aliquis molestus ei sit, ac insuper attestatur fuisse in honorem Sedis Apostolicæ erectam Alexandriam, ab Alexandro III. Prædecessore suo nomen assumpsisse, iussitque in fide persistere. Cæterum si ab Imperatore Romanorum designato, ac Siciliae Rege requisiti fuerint ad iuramentum fidelitatis, id subire non recusarent, modo cæteræ Lombardiæ civitates illud ipsum & ipsæ præstent, salva tamen fide in Sedem Apostolicam. Eodem anno die decimo tertio augusti Baldus Rugna, Otho Gavilius, Gandolphus, & Ugo Guarachi cum pluribus aliis donationem fecerunt reipublicæ Alexandrinæ, castri, & loci Uxerii, qui pariter illud in beneficium a republica Alexandrina receperunt. Eodem anno die decimo quinto octobris fœdus conflatum fuit reipublicæ Alexandriæ cum Vercellenfibus, & conditione adjecta, ut & in eo Mediolanenses reciperentur, modo voluissent. Nulli nominantur, qui dicto fœderi intervenerint percutiendo. Anno, die, & mense, quibus supra Vermus de Turricello sibi satisfactum asseruit de venditione illa in Alexandrinos facta scilicet castrorum Cunioli, & Turricelli; insuper clientelare iuramentum præstitit reipublicæ Alexandrinæ Vermo Mandello Prætoræ. Eodem anno die nono mensis decembris Nicolaus Guertius, Calvusque ejus nepos cum prius donationem fecissent populo Alexandrino octavæ partis castri, & villæ Ripaltæ statim de iisdem investituram nanciscuntur ab eodem populo, qui pariter nonnulla jura in castris utriusque Carpeneti habebant. Eodemque anno die 10. mensis decembris (2), qui maxime fertile fuit civitati Alexandriæ, respublica emit a D. Henrico filio quondam D. Othonis Chechita quintam partem oppidi Canellarum, & pertinentium; quartam partem Turris Mezzani de Canellis, quartam partem castellanæ Freni, ad hæc ea, quæ sui juris essent in Sexamo, Lovazolo, sancto Martiano, & in Moascha, hocque nomine libræ centum viginti Astenses ei repræsentantur. Eodem anno Vermus Mandellus Prætor nomine reipublicæ a Trupho Crofa suo, & nomine Vermi ejus fratris quartam partem Vici Garbazolæ cum dimidietate ejus Turris castri Mezzani de Calamandranæ, partem ejus Sexami, & partem castri, & villæ sancti Martiani, & Soirani, & perinde totum Comitatum Canellarum, & pertinentiarum comparavit octuaginta quinque libris Astensibus pretii nomine dinumeratis: in qua venditione etiam aderat præter Mandellum Prætoræ super a nobis memoratum Jacobus Peluchus civitatis Alexandriæ Judex. Eodem anno idem Truphus vendidit reipublicæ Alexandriæ nomine Jacobi Maxillæ medietatem turris Sexami, atque tertiam partem Palatii Calamandranæ, & totius cortilis Canellarum. Eodem anno, & die Otho Corbellarius reipublicæ Alexandrinæ vendidit quartam partem Garbazolæ, medietatem Turris Mezzani, & Calamandranæ, quæ dicitur Corbellariorum, atque suam portionem Calamandranæ